CAPUT I.

De Ratione Status generatim.

RAtio Status vulgare hodiè nomen eſt, & in omnium ferè, etiam, qui vix limina Politices conſalutârunt, ore geritur; quotiescunque enim quippiam, ſub prætextu aliquo ita circumſpectè fit, ut ſimpliciores, primâ ſtatim fronte, ſcopum illius non animadvertant, toties per rationem ſtatus, hoc idem accidiſſe ex vulgari uſu ſermonis perhibent, adeò, ut acceptio vocis, non ad ea modò, quæ ſtatum Publicum concernunt, ſed & ad privatam vitam, negotiaque eorum, qui in Societate civili, verſipelles ſcitè agunt, modo loquendi abuſivo porrigatur.

Cæterũ quid ſit Ratio Status, res eſt apud